

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 3546

**Auteur(s)** : Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Rouen, Sainte-Marie-Madeleine (hôpital)

**Genre d'acte** : vidimus

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1256, août

**Lieu d'émission** : Pont-de-l'Arche

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

En vidimant une charte du roi Richard [Ier] d'Angleterre, Louis [IX], roi de France, confirme les droits de l'hôpital Sainte-Marie-Madeleine de Rouen et ordonne que cet hôpital soit sous sa protection.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 568, p. 105.

Texte établi d'après a

In nomine Sancte et individue Trinitatis ; amen. Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex, universis ballivis, prepositis, vicecomitibus, majoribus et aliis ministris suis, ad quos presentes littere pervenerint, salutem. Notum facimus quod nos litteras Richardi, quondam illustris Anglorum regis, inspeximus in hec verba :

Ricardus, etc.

(Voir SCRIPTA 3293 ; DELISLE, *Cartulaire normand*, n° 20)

Ut autem predictum hospitale, quod multum habundat peetatis (sic) et caritatis operibus, et bona ipsius plena quiete et tranquillitate letentur, volumus et vobis precipiendo mandamus, quatinus ipsum et omnia sua ac quecumque ad illud spectancia custodire, protegere ac manutenere curetis, tanquam nostra propria, et nullam ei violentiam, molestiam aut injuriam seu gravamen de aliquo inferatis aut permittatis inferri. Volumus insuper et precipimus quod dictum hospitale et custodes ejus necnon infirmi morantes in eo ac omnes in terra elemosine sue manentes quieti sint firmamque pacem habeant de modiciatione, teloneo, pasnagio, pontagio, foagio et de omni consuetudine ad nos pertinente per totam terram nostram, tam in aqua quam in terra, et si quis eis super hoc in aliquo forifecerit, id sine dilacione emendari faciatis eisdem. Preterea, pietatis intuitu, predicto hospitali quascumque res suas rationabiliter acquisitas, quas pacifice possedit huc usque, auctoritate regia confirmamus. Quod ut perpetue stabilitatis robur obtineat, presentem paginam sigilli nostri auctoritate ac regii nominis karactere inferius annotato fecimus communiri. Actum apud Pontem Archie, anno incarnationis dominice M° CC° L° sexto, mense Augusto, regni vero nostri anno tricesimo, astantibus in palatio nostro, quorum nomina supposita sunt et signa : dapifero nullo ; signum Johannis buticularii ; signum Alfonsi camerarii ; signum Egidii constabularii.

Data vacante cancellaria.